













PRO

SUCCESSIONE  
PRÆROGATIVÆ PRI-  
MI PRINCIPIS, PER LEGEM  
Regni, Cardinali Borbonio delatae,

CONVENTATIO ERRORVM  
*cuiusdam scripti, cui incognitus Author*  
*titulum fecit,*

Aduertissement sur les lettres ostroyees  
à Monsieur le Cardinal de  
Bourbon.

*Authore MATTHÆO ZAMPINO Re-*  
*canatenſi, I. V. Doct.*

3 + 4

A PARIS,

Chez Iean Patent, suyuant la permission à luy donnee par l'Autheur, le 30. Nouembre 1588.

Conformemēt a son Priuilege Impri-  
mé au liure de la Succession, dont  
est question.

---

M. D. LXXXIX.

Слъ

АНИОГІСІ  
ДЛЯ ЗУЧНОСТІ  
МЕНІДЕЛІ  
Слово відомої пісні

Задовільної пісні  
Менідеї

EXPLICATIO  
ERRORVM CVIVS-  
DAM SCRIPTI, CVI  
incognitus Author ti-  
tulum fecit.

*Aduertissement sur les lettres octroyees  
à Monsieur le Cardinal de  
Bourbon.*

Authore MATTHÆO ZAMPINO  
Recanatensi, I. V. Doct.



M. D. LXXXIX.

OUTSTANDING

BY THE NEWBERRY

LIBRARY CHICAGO

CASE

F

39

.326

158938

THE NEWBERRY  
LIBRARY



*EXPLICATIO ERRO-  
RVM CVIVSDAM SCRIPTI,  
cui incognitus Author titu-  
lum fecit,*

*Advertissement sur les lettres octroyees à  
Monsieur le Cardinal de Bourbon.*

**V**Ix in lucem edita erat quæ-  
stio de successione Præro-  
gatiæ Primi Principis Frá-  
ciæ, cù nescio quo infausto  
sydere, in ignoti cuiusdam docti cen-  
suram impegit: is enim in ipsam decé  
aut vndecim notas inussit, idque fecit  
tam animosè & festinè, quàm incau-  
tè, ita vt in totidem pluresue crassos  
errores incurrit. Quas notas, quos  
ve errores, vt sit de illis cuiusque iudi-  
cium, quo ipse ordine notauit, hic ip-

A ii.

se subiicio.

Primo itaque notat, Quòd ego Franciæ vsus ignorans, super Regiis literis, in fauorem Cardinalis Borbonij emanatis, libellum scripsi.

Hic est error incurriæ, ego enim super literis non scripsi: nec in meis scriptis mentio aliqua fit de contentis in illis: de quo latius infrà in primo capite.

Secundo notat, quòd ego volēs probare Cardinalis proximitatem ad Regem, non respectu Régis, sed Ducis Alençonij illam deduco.

Ethīc est incuriæ error, Quia ego nolui probare proximitatem Cardinalis ad Regem, sed ad Ducem Alenconij: de quo in secundo capite.

Tertio notat, quòd incongruè facio Cardinalem Ducis Alenconij hæredē, Cum Rex solus sit hæres illius.

Errat hic dupli ci errore iuris, Primo,

quia in Prærogatiua Primi Principis nullus, præter Cardinalem potest esse Ducis hæres.

Erit secundo, quia Rex in dicta Prærogatiua hæres Ducis esse nō potest: de quibus infra, tertio capite.

Notat quarto, quod in consanguinitate probanda, numero gradus more canonistarum, & non legistarum ut debeo.

Hic etiam est error iuris, cum inter canonistas & legistas nulla sit in effetu differentia computandi: De quo latè, in quarto capite.

Quinto notat, Quod in genealogia omiserim sanctum Ludouicum.

Hic error est aut crassæ oscitantiæ: aut ignorantiae latini sermonis. Sanctus enim Ludouicus est in Genealogia scriptus literis sesquipedalibus: de quo infra, quinto capite.

Notat sexto, me allegare Vlpianū

A iiij

contra ipsius mentem, cū vocet plures agnatos, & nonnum solū, ut dico.

Hic est error malæ intelligentiæ. Prætor enim, qui gradatim vocat agnatos, non vocat simul omnes gradus, sed vnum gradū duntaxat: infrà, sexto capite.

Septimo notat, quòd dum loquor de successione Coronæ, facio Cardinalem Ducis Alenconij hæredem, & ad hoc multa comminiscitur.

Hic est incuriæ error, ego enim non loquor de successione coronæ! Sed rectè dico Cardinalem Ducis hæredem in Prærogatiua Primi Principis: infrà, in septimo capite.

Notat o Etiau, quia dico neminem alicuius hæredem esse posse, qui prius præsumptus hæres illius non fuerit.

Hic error iuris est, Ille enim, qui est post aditam hæreditatē hæres, antequam adeat est hæres præsumptus, &

non verus infrà capite octauo.

Notat nono, me dicere descendente ab inhabili inhabilem esse.

Et hic error est vulgati juris, nemo enim dat quod non habet: De quo, in nono capite.

Decimo notat, quod ego volens Nauarrum excludere, do illi aditum ad Coronam.

Hic errat dupli errorre, primo, malæ intelligentiæ. Quia ego duntaxat includere volui Cardinalem: Alios verò excludit lex Regia: Alter error est, quia cum ego de successione Coronæ non loquar, non possum alicui ad illam aditum dare: infrà in capite decimo.

Notat vnde cimo, quod dico Cardinalem hæredem, subdens quod esset hæres solius speci: & quod hæreditas non est spes.

Et hic duplex est error, unus incu-

riæ: Non enim ego dico Cardinalem esse in spe obtainendæ hereditatis, sed dico illum verum heredem in Prærogatiua Primi Principis.

Alter est error iuris, quia licet hereditas non sit spes, sed ius, spes' nihilo minus sepe continetur in illo iure: de quo, in capite yndecimo.

A t' veniamus ad latius explicandos errores: prius tamen aliqua de titulo operis, & de toto opere dicamus.

Titulum sui scripti fecit, *Aduertissement sur les lettres oëtroyees à Monsieur le Cardinal de Bourbon.*

At si titulus alicuius operis, ut Doctores omnes dicunt, consonans esse debet operi, certè titulus iste extraneus & impertinēs est, cum nec re, nec verbis, cū suo opere concordet: animaduersiones enim illius, seu potius notæ, non Regias literas, sed scripta mea pertinet.

tunt, quæ nec in literis sunt comprehensa, nec de illis verbum quidem unum in literis reperitur. Quid vero in ipsis literis animaduertat vix vide ri potest, hocvno excepto, quod Rex consulens Regno controuersiam illam, quæ post ipsius mortem inter Cardinalem Borbonum, & Henricum Navarrum, pro successione Coronæ, ori si potuisse, his literis terminauit: nempe (si ipse quod dicit intelligit) quod Rex Prærogatiuam Primi Principis non ex priuilegio Cardinali concedit, illam, utique à Regni lege habebat: sed asserto Cardinale sibi sanguine proximiori, Prærogatiua ipsa Cardinalis esse declarat, reliqua vero cum literis nihil habent communem, sed ad id tantum tenquent, ut mea dicta impugnet, de quibus nulla mentio fit in literis.

Quid vero in toto suo opere ipse velit, quem finem habeat, quid tentet,

concludere non est facile, nisi vnum  
hoc, nempe ut mea dicta, quo iure,  
quaeve injuria laceret. Vult videri pro  
Cardinale scribere, & nihilominus  
pro ipso id vnum, & solum argumen-  
tum adducit, quod ipse in mea qua-  
stione adduxi, & à Tyrasq. in suo tract.  
de iure Primogenitorum, quæst. 40, arg. 2.  
adducitur pro patruo: At his rationib<sup>o</sup>,  
quæ ad istud eneuanandum argumen-  
tum adducuntur, aut respodere omit-  
tit, aut ita frigide respondet, ut ex in-  
stituto ad causam perdendam, illius  
defensionem sumptuisse videatur; nec  
mirū, nō enim pro Cardinale scribere,  
sed dicta mea impugnare satagebat.

Vult haberi Nauarri oppugnator,  
& nihilominus rationes, quas pro Car-  
dinale adduco, totis, quibus potest, vi-  
ribus impugnat: quin & rationes meas  
pro Nauarro detorquere conatur, &  
ita se vbiique varium ostendit, ut me in

illam opinionē trahat, quod ipse nec  
Cardinalēm, nec Nauarrum, nec quē-  
quā Borbonium, habere Rēgem velle  
videatur: Quin & Hugonem Cāpe-  
tum vix recipere videtur in Rēgem:  
dicit enim de Nauarro loquens, pag.

16. Imaginant estre luy seul plus fort  
que tout le peuple, duquel depēd l'obeissance,  
& qui n'a moins de pouvoir de destituer  
l'heritier d'Hue Capet, fil est indigné, qu'il  
a eu de puissance d'instituer Roy ce Hue  
Capet, qui n'estoit du sang, ny de la race des  
Roys precedens.

Doctus iste ignotus, postquam ali-  
qua de priuilegiis Regiis dixisset, quō  
tendebat properas, pag. 16. in fine, ait,  
*Quelqu'un de ce temps, ne sachant, comme  
estranger qu'il est, les façons de France, a  
escript un liuret sur les lettres du Roy, don-  
nées en faueur de Monsieur le Cardinal.*

Extraneum me nominat, & hoc  
nomē vbique inculcat, & qua de cau-

sa ignoro , cum ex meo libro amicus  
meus, qui me inscio typis illum dedit,  
nomen meū nō expunxerit, & potue-  
rit ipse ideo me proprio nomine indi-  
cate, vt ego ipsū suo nomine nomina-  
rē, si in suo libro, suū nomē posuisset.

Autumo tamen me extraneum dice-  
re vna de tribus causis; nempe, aut ad  
detrahēdā meis dictis fidē: aut ad me  
afficiendā iniuria: authonoris ergò.

Si ad detrahendam fidem , quod  
possum suspicari, cum addat me reū  
Francorū ignarum: profitcor me nolle  
meis dictis aliam fidem adhiberi,  
quā illam, quæ ita erit rationibus, &  
authoritatibus munita , vt expugnari  
minimè possit.

Si ad inferendam iniuriam, illā ad  
animum non reuoco : volenti autem  
non fit iniuria.

Si honoris ergò , gratias ago , mihi  
enim esse Italum, & patria Recanatē-

sem, honoris esse duco: & talem in meis  
scriptis, me semper sum professus.

Quod autem dicit, *ne sachant les façons de France*, credo velit dicere, quo-  
quo modo id exprimat, me ignorare  
vſus, consuetudines, leges Franciæ: id-  
que exprimit per verbum, *les façons*:  
Quamobrem non possum non dice-  
re. quòd si ego, qui extraneus sum in  
hac quæſtione tale verbum protulisse,  
exclamasset ipse, & iure quidem, me  
extraneè, & ineptè loqui: cum ver-  
bum hoc decentius ad vſtiendi, viue-  
di, conuersandi, modos, nempe, *façon*  
*d'habiller*, *de viure*, *de conuerſer*, quam  
ad vſus, consuetudines, & leges, quibus  
Regni ſucceſſiones regulantur, adap-  
tari poſſit.

### C A P V T . I.

Primū dixi illum errasse in eo, quòd  
primo notat me ſcripſiſſe ſuper literis  
Regiis. fol. 16. his verbis, *a eſcript yn li-*

*uret sur les lettres du Roy données en faveur  
de Monsieur le Cardinal. Potuistēt hæc,  
& aliæ suprà recitatæ notæ, sine respō-  
sione dimitti: & profectò amici om-  
nes, superuacuam responcionem om-  
nem esse dicentes, mihi cōsulebant,  
vt non responderem, & ego an respō-  
derem ambigebā vtique, & ea de cau-  
sa, per multos dies, retinui penes mē  
iam completam responcionem: Verū  
cùm me legisse imeminerim: Respon-  
deas, ne ipse sibi sapiens esse videatur,  
suos ipsi errores, vt illos agnoscat, ape-  
rire tandem est satius mihi visum. Dico  
itaque illum errasse, cùm iam multò  
antè scripserim, quām de ipsis literis  
cogitatum fuisset: annos quidem antè  
quatuordecim, cum exisset liber, cui  
est titulus Francogallia, & contentam  
in eo opinionem de successione, seu  
potius surrogatione Regūm non pro-  
bassem, & in Regno Franciæ semper*

aut de patre in filium, aut in proximiorē  
 agnatum fuisse successum ostendere  
 decreuissim : & cum pro hoc meo in-  
 stituto multa cumulasse m , & librum  
 typis dare cogitarem , habuissem etiā  
 de eo imprimendo à Rege priuilegiū,  
 quod s̄aepius impressum legi potest, e-  
 uenit ut iustis de causis id facere differ-  
 rem : Verū eniuero, cum post aliquot  
 annos Frāciscus Valesius Dux Ande-  
 gauensis è viuis decessisset , & illū sci-  
 rem Primum Principē Franciæ fuisse,  
 cœpi mecum mentevoluere, ad quem  
 morte illius, Primi Principis Præroga-  
 tiva deuoluta esset, cūmque meminiſ-  
 sem hanc quæſtionem quandoque à  
 Carolo Magno inter suos filiū , & ne-  
 potem decisam fuisse, tractatum, quē  
 se posuerā, reassumens, super ipsa quæ-  
 ſtione, ad emergentis facti ſpeciem, a-  
 daptata, latè ſatis ſcripsi, & cum ipsam  
 quæſtionem vna cum integro ipſo

tractatu in lucem dare decreuilem, &  
vt id quamprimum facerem amici  
virgerent, dum cunctor, eorum unus  
typis illam tradidit: & quoniam id eo  
fere tempore, aut non multum ante,  
fieri contigit, quam Regiae literae, qui-  
bus, grato animo, Rex certa privile-  
gia Cardinali Borbonio conesserit,  
emanarent, doctus iste ignotus erore  
ductus, me super literis ipsis scripsisse  
est perpetam interpretatus: atque illis  
contradicere tam studiose affectauit,  
vt nisi fallor, nec mea scripta perlege-  
re, nec que contra ipse scripsit, relege-  
re, praefestinatione curauerit: & ea du-  
taxat oppugnauerit, quae ipse me di-  
xisse est commentatus.

Quae quidem ita esse, & ipse Regiae  
literae, & scripta mea pro me testimoni-  
num dicunt: literae enim datæ sunt  
Carnuti, die xvij. Augosti, publicatae  
vero fuerunt in senatu Parisiensi, die

xxvi. eiusdē mensis: liber autem meus  
absolutus ex impressoris manibus c-  
xiit eadem die. 17. Augusti, qua literæ  
Carnuti datae fuere: Adeo vt, si vna &  
eadem die conceptus, scriptus, & edi-  
tus fuisset, tamen non potuerit super  
literis Regiis script⁹ esse, nisi ego quid  
Rex facturus esset prophetico spiritu  
præuiderim.

Præterea Priuilegia in literis com-  
præhensa, quæ Rex Cardinali conce-  
dit, in fauorem meritorum, proximi-  
tatis, & beneuoli animi sui erga illum  
duo sunt: Vnum, vt in qualibet ciui-  
tate, in qualibet virbe, & loco quolibet  
Regni, possit ipse Cardinalis in quali-  
bet arte artificem vnum creare. Alte-  
rum, vt domestici familiares ipsius  
Cardinalis iisdemmet priuilegiis, ex-  
emptionibus, & immunitatibus, vti,  
frui, gauderéque possint, quibus do-  
mestici familiares ipsius Regis vtun-

tur, fruuntur, ac gaudēt. idque totum est, quod in literis continetur: de quibus nē verbum quidem ex quæstione mea expresseris, et si per diem integrū illam torculari subiectam teneas.

Rursus in quæstione duntaxat de successione Prærogatiuæ Primi Principis agitur, quā de re si literulam in Regiis literis inuenire potest doctus iste ignotus, fateor me errare, qui illū in hoc errasse affirmo.

### C A P V T . I I .

Secundum dixi illius errorem, dum pag. 12. ait, *& veut prouuer la proximité de luy, non avec nostre Roy, comme il deuroit faire: mais avec feu Monsieur le Duc d'Alençon frere de nostre Roy, disant que Monsieur le Cardinal est heritier de feu Monsieur le Duc, comme son plus proche parent.*

Taceo hic, quòd dum Ducem nominat, & semel, & pluries illum dicit,

*Monsieur, oblitus credo, quod soli illi competebat sine adiuncto dici,  
Monseigneur.*

Si ego dico Cardinalē hæredē Ducis, ut verè dico, certè debebā proximitatem probare ad Ducem, cuius dicebā Cardinalem hæredem esse, & non ad Regem, de quo nunquā sum locutus. At si proximitatem Cardinalis ad Regem probare voluissem, & illam probasssem ex proximitate Cardinalis ad Ducem, certè probatio ista nulli notæ obnoxia fuisset: cum Dux germanus frater esset Regis, & in eodem gradu cum illo, ita ut probata proximitate Cardinalis ad Ducem, ad Regem etiā probata recto iure videretur. At minor doctum istum hanc probationis speciem notasse, & si ego ea usus fuisssem, cum ipsem aut talem, aut similem inscriptis faciat. Dum enim Cardinalē Henrico Nauarro ad Re-

gem proximiorē probare vult , id ita probat , pag: 7. & 8. Or il est notoire que Monsieur le Cardinal de Bourbon estoit frere de feu Antoine Roy de Nauarre , pere de Henry Roy de Nauarre à present , cōsequēmēt plus proche de nostre Roy , d'autant que le frere est en mesme degré , que son frere . Il appert donc que Monsieur le Cardinal estant au mesme degré que le pere du Roy de Nauarre , & estat tout certain que le pere est plus proche que le fils , pour ce que , quaelibet persona facit gradum , il s'en suit que le Roy de Nauarre n'est point si proche en degré à nostre Roy , que estoit le defunct Roy de Nauarre son pere , partant est nécessaire cōclure que le nepueu n'est si proche que l'Oncle .

Si ergo ipse proximitatem Cardinalis ad Regem ex eo probat , quòd Antonius proximior Regi erat , quām Henricus eius filius per vnum gradū , & quòd in eodemmet gradu est Car-

dinalis quo erat Antonius, & per cōsequens proximior Rēgi; quām Henricus: & sic ex duorum frattū eadē proximitate conficit argumēntū suū: causam ab eo requiro quārē egō simili argumento ex proximitate Francisci Rēgis fratris probare iūren̄ possē proximitatem Cardinalis ad Rēgem, cum Rex & Franciscus ita inter se fratres essent, vt inter se erant fratres Antonius & Cardinalis. Veruntamen ad se excusandum causam hanc dare potest, quod animo contradicendi adeo tactus erat, vt dummodo contradiceret, nec quid diceret, nec quid ipse dixisset, aut esset dignus, mente agitaret. Et quod dico ita esse id probat, quod cum vbiique dicat, me dicere Cardinalem hāredem Rēgis, & non Ducis, hic nihilominus sui oblitus, dicit me dicere Cardinalem hāredem Ducis.

## CAPVT III.

Tertio errasse ipsum dixi, dum notat quòd incongruè facio Cardinalé Ducis Alenconij hæredé, in quæstione nostra, dicit enim ipse, pag. 17. disant que Monsieur le Cardinal est heritier de feu Monsieur le Duc, comme son proche parent. Mais il n'y a apparence en son dire, d'autat que ce n'est l'intention ny du Roy ny aussi de Monsieur le Cardinal. Car estant feu Monseigneur le Duc decedé cinq ans sont ou enuiro, on n'ouyt iamais dire qu'autre quele Roy fust heritier de feu so frere, que autre que sa Maiesté recueillist les biës meubles ou immeubles. Et cum aliqua friuo-lé dixisset, subdit, pag. 18. d'alleguer doncques un autre heritier, que son frere c'est un abus.

At si probauero quod suprà dixi, Regem in hac nostra quæstione nec fratris hæredé esse, nec esse posse, certe doctus iste, se lapsum fuisse, fateri, quā

uis erubescat, cogetur.

Aduertendū est tamen prius, quòd licet ybique nominando Ducem Andegauensem, appelle illum *Mōsieur*, hic per errorem credo, *luy est eschappé*. de le dire, *Monseigneur*.

Nunc ut videamus an Rex in quaestione nostra possit esse Ducis fratrī sui hæres: *Quisue sit verus illius hæres*: Videndum est, quid primo Principi, ratione suæ Prærogatinæ, Primi Principis, competit.

Primo Principi competit, primo loco, præ cæteris post Regem in Regno honorari.

Secundo, dici absolutè, & sine adiuncto, *Monseigneur*, hæc duo iura, per se, satis nota sunt, & probatione non egent.

Tertio, ne cætera prosequar, cōpetit sedere à dextris Rēgis, *Io. de Terra rub. in tract. 1. contrarebell. art. ij. concl. ij. eT*

*seqq. alleg. cap. 42. Genes.* vbi dicit, quod  
in coniuio Iosephi sederunt eius fra-  
tres, primogenitus iuxta primogeni-  
ta sua, & minimus iuxta etatem suam.

Atque ut nullum ex his dictis iuri-  
bus Regi competit, ita non potest in  
illis esse Ducis Aleconij heres.

Non illi competit primum, quia non  
post aliquem alium, quisquis ille sit, in  
suo Regno, sed ante omnes honorari  
debet, cum omnis honor ab eo tan-  
quam à fonte manet.

Neque illi competit dici, *Monsie-  
gneur, Sire,* enim est suum nomen, Ma-  
iestatisque propria est eius denomina-  
tio, nec inferiori homine debet no-  
minari.

Illud autem contra naturam est, ut  
possit ipse met ad sui dexteram sedere.

Et quoniam nec omnia ea iura, nec  
eorum aliud, sibi comptut, infir-  
miora enim sunt, quam ut in Regem  
ipsum

ipsum conueniant, certè procul omni dubio est, quòd in illis Rex nec est, nec esse potest Ducis Andegauensis & Alenconij hæres: iura enim suprema, quæ Rex ipse habet, iure proprio habet, & non alio iure, quàm hæreditatio prædecessoris, & proximi præmorientis Regis.

Et cum non possit Rex huius Prærogatiuæ esse hæres, certè aut ipsa Prærogatiua euanescit, aut ab aliquo acquiritur: At quòd non euanescat, sed acquiratur, testes omnes esse possumus, qui vidimus, quòd viuentibus Henrico ij. Rege, & Francisco Delphino, Carolus ix. illam non habebat, quód ve morte Patris, & assumptione fratribus ad Regnum, illam acquisiuit: Quódque illam acquisierit Henricus iij. nūc Rex, cum Carolus fuisse ad Regnum assumptus: & cum deinde fuisse ad Regnum assumptus Henricus, vidi-

D

mus illam acquisiuisse Franciscū Dūcēm Alenconium: de cuius successione in nostra quæstione agitur: Acquiritur igitur : & cùm ipsa Prærogatiua Regnum antecedat, & reguletur ideo eius successio ad instar successionis Regni, in quo à proximiore, iure hereditario ab intestato , succeditur , ut virūmq; in primis verbis nostræ quæstionis, plenè probauit, certè acquiritur ipsa Prærogatiua, & in ea à proximiore succeditur iure hæreditario ab intestato. Sed Duci proximior est Cardinalis Borbonius , ut quæstione probauit, & tu fateris, vir docte, Cardinalis igitur Borbonius ab intestato succedit Duci, & velis nolis in ista Prærogatiua est Ducis Andegauenſis legitimus hæres.

At bone Deus, quanta est veri vis atque virtus? perrupit enim in penetralia iudicij Docti istius, licet valde

caliginosa, & obnubilata : sed quid?  
 nec permanere, nec se munire ibi po-  
 tut ita, vt à spiritu contradictionis in-  
 de non illico extruderetur. Dicit enim  
 ipse, pag. 18. C'est abus aussi de dire que  
 le Roy est son heritier quant aux meubles,  
 & immeubles : mais non quant à la digni-  
 té : hic vidit, & fugit, subdit enim con-  
 uersus retrorsum, Il y a grande différen-  
 ce entre un heritier, & un successeur, il se  
 peut bien faire qu'une dignité, qu'auoit feu  
 Monsieur apres son deces, ait esté donnee  
 à un autre Prince, comme un gouuerne-  
 ment, une compagnie d'hommes d'armes,  
 & autres offices : mais ce n'est heredité non  
 plus que quand un Evesque est mort, & un  
 autre subrogé en son lieu, c'est improprement  
 parler, que le dire heritier comme il fait à la  
 seconde page de son liure.

Ne fateatur Cardinalem esse Ducis  
 Alenconij in hac Prærogatiua hære-  
 dem, dicit illum esse successorem, sed

D ij

longè differre successorem ab hæredō,  
& adeò se tum exemplis incongruis,  
tum contradictionibus, se implicat,  
vt si ego quod ipse hic dicit scripsisse,  
id quod pag. 33. contra me exclamat,  
hic proclaimare non desisteret, eisdem  
verbis, nempe, C'est comme ce docte Do-  
cteur par son escript s'implique & se mesle  
comme un oiseau, qui est à la glus.

At audi amice Docte, tu dicis ma-  
gnam esse différētiā inter successo-  
rem & hæredem, sed id ita esse mini-  
mè probas: & ego & rationibus, & au-  
thoritatib. probabo, cūdē esse, in quę-  
stione nostra, hæredem & successore:  
verbū enim successio, de sui proprie-  
tate importat successionem hæredi-  
tariam ab intestato, *textus est, in l. quæ-*  
*dam, §. is autem, tt. de edendo, not. in l. iij*  
*§. de illo, tt. pro socio, quas leges allegat Ty-*  
*raq. in suo tract. de iure primog. q. 53. nū. 8.*  
*ubiformalibus verbis dicit, quòd verbū*

successionis cōprēhēdit tantū causam  
intestati : maximè quādo successio est  
legitima , vt in nostro casu , ita Abb.  
cōf.ij. col.iiiij. vers. nam verbum succeden-  
di lib.ij. perl.i. & ibi not. C. de suis, & legi:  
& hinc legitimi tutores hi dicūtur , qui  
à lege vocantur ab intestato : testamē-  
tarij verò qui deputantur per testato-  
res , tit. de legit. tutor: & tit. de testam. tuto.

At tu instas exemplis , dicens , si cui  
datur moriētis Prouinciae Regimen ,  
si Præfectura catafractorum , addis  
episcopatum , illum non esse hæredē:  
cui dicto aquiesco , ac duim dicis illum  
esse successorem , te errare affirmo , nā  
ille non successor est , sed surrogatus ,  
vt tu ipse dicis , & un autre subrogé en  
son lieu . Et si quod dicis intelligis , iam  
scis , quòd qui surrogatur ab aliquo  
surrogatur , successor verò hæres est  
virtute legis , absque facto alicuius , ni-  
si proprio , in adeunda hæreditate . Sed

dicas rogo , quis Carolum. ix. Franci-  
sco : quis Henricum nunc Regem , in  
prærogatiua Primi Principis, surroga-  
uit Carolo: quis Franciscum Andega-  
uense Henrico Regi surrogauit : quis  
Cardinalem Borbonium Andegaué-  
si: certè nullus , sed lege Regia succe-  
fere: Scio dicis, Borbonium Præroga-  
tiuam habuisse per literas Regias , sed  
iam ostédi te in hoc errore lapsum : &  
Prærogatiuam in literis ne nominari  
quidem.

Non possum tacere, te hic, & alibi  
sæpius dicere Regem solum & in im-  
mobilibus, & in mobilibus, Ducis hæ-  
redem esse: & nihilominus id oblitus,  
dicis etiam quòd in mobilibus & ac-  
quisitis hæres Ducis est Regina illius  
mater , ita vt in illis Rex esse hæres ne-  
quaquam possit, non enim duo in so-  
lidum possunt existere: ne tamen im-  
ponere videar, pag. 34. hæc tua ver-

ba leguntur, postquam me visco implicatum dixeris. Il dict que Monsieur le Cardinal est heritier de feu Monsieur le Duc, à quoy s'opposera le Roy pour les propres, & la Royné sa mere pour les meubles, & acquests. nō enim se opponere posset, nisi esset hères.

Tædet me diutius in his immorari, sed me renitētem detinet, addit enim, pag. 19. Vsant de ce mot d'heritier par plusieurs fois, en quoy il se foruoye, & faict tort au Roy, ne recognoissant ceste faueur de la main de sa Maiesté : mais par droit d'heredité, & de succession nécessaire, laquelle si on accordoit, il ne seroit plus besoing de lettres patentes du Roy : la proximité le donneroit sans la permission du Roy.

Nullum incurritur erga Regē crimē, si Cardinalis quam non illi ex priuilegio Rex impertitur, sed lex Regni Prærogatiuam defert, legi acceptam refert : nec est in hoc priuilegio Regis

opus: idque Rex ostendit , qui ipsam  
 Prærogatiuam Cardinali ex priuilegio  
 non concedit, sed afferendo illum sibi  
 proximorem, illius Prærogatiuam es-  
 se apertè demonstrat: ea enim quæ de  
 iure competunt , priuilegio non cōce-  
 dūtur: Cui si assentis, adhæres legi Re-  
 gni, quæ hoc statuit, sin verò, ut cœpi-  
 sti obsistis; à lege certè aberras: sed nō  
 ne tu ipse statim addis, *Il est bien vray*  
*que ce n'est pas le Roy, qui face qu'un Prince*  
*soit son proche , ou estoigné de parenté,*  
*c'est la nature seule, non autre chose.* Cùm  
 ex lege Regni proximior succedat Præ-  
 rogatiuæ Primi Principis, certè natu-  
 ra quæ illum proximorem facit, non  
 sola, sed cum lege Regni, Prærogati-  
 uæ, successionem defert: nec pro illo  
 ideo Regis Priuilegium est necessariū.  
 Et si Cardinalis priuilegia, quæ in lite-  
 ris contenta sunt, non habebat, in cau-  
 sa erat, quia illa ex se, Prærogatiuæ sę-  
 pe dictæ

pe dictæ Primi Principis non competunt, nec sunt illi coniuncta: sed debet priuilegio consequi.

Addit pag. 20. On allegue que le feu Duc d'Alençon eut semblables lettres du temps du Roy François premier, comme étant le plus proche de son sang. Allegatio hæc licet postea adducta fuerit à viro vnde quaque docto, & valde pertinenter, in libro nihilominus meo illam nec legit, nec reperire vñquam poterit, cùm in illo non sit.

#### C A P V T    I I I I .

Quarto diximus ignotum istum, Doctum errare, dum in describenda Genealogia descendétiūm à sancto Ludoico, sic me notat, Ce docteur en droit descript la genealogie des successeurs de saint Loys pour montrer la parenté qui est entre nostre Roy & Monsieur le Cardinal & parlant de la succession il conte les degréz à la façon des canonistes, non à la

façon des legistes; toutefois le Pape Alexādre, in c. ad sedem. 35. q. 5. est d'accord que quand il est question d'herédité, il faut conter les degrés de consanguinité selon les Iurisconsultes, & les legistes l'ont enseigné, & non selon les canons, & quand il est question des mariages c'est à suivre les canonistes, disant, Quia hereditates nequeunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curauit secularis Imperator in singulis personis, singulos perficere gradus, quia verò nuptiae sine duabus non valent fieri personis, ideo sacrificanones duas in uno gradu constituere personas.

Hic reincidit in errorem superius ostensum: ego vtique non ad Regem Cardinalis proximitatem, sed ad Ducem Andegauensem probare volui.

Rursus errat in iure ipso, notans me, quem legum doctorem dicit, ex eo, quod computo gradus more canonistarum, non autem more legista-

rū : Nota enim friuola satis est , & mi-  
nus legitima: cū in esse ētu inter cano-  
nistas , & legistas nulla sit in modo cō-  
putandi differentia , vt Alexander ipse  
in d. c. ad sedem. 35. q. 5. quod tu allegas,  
his verbis declarat . Utrāmque tamen  
computationem , si attentē ac subtiliter per-  
specta fuerit , idem sensisse , & eandem esse  
in eis sententiam , atque ad eundem termi-  
num conuenire , manifestissimum erit . &  
propè finem eiusdem c. idem Alexander ,  
licet ad aliud propositum , ait . Nec yl-  
la in sensu existit diuersitas , quamuis in nu-  
mero graduum varietas videatur . Quid  
ad hæc dicis vir docte , est ne idē Ale-  
xander , quem contra me adducis ? Si  
igitur nulla est in effectu differentia in  
utrūmque computandi morem , &  
possim ideo vt volo computare , quæ  
causa subest , vt contra me exclames ,  
pag. 24. c'est donc chose estrange que ce do-  
cteur estranger n'a point voulu suiure la

*decision canonique en son arbre de consanguinité, & que estant question non de mariage : mais de succession & d'herédité : il a mis les degrés à la façon des canonistes.*

Si fortè hoc mihi obiicis , quòd legis sum doctor vt dicis, cogis me vt dicam , etiam canonum me esse doctorem , & non cameralem , sed in doctorū ampio Collegio Senesis universitatis graduatū, quæ vna est ex nobilioribus Italiæ vniuersitatibus: & cū utroque more numerare possem , notari ex eo nō debeo , quod canonistarum morem elegerim: nō enim leges dignantur sacros canones imitari.

Accedit, quòd cum illi, qui contra Cardinalem scribunt , more canonistarum computent gradus , ego qui meis rationibus rationes illorum cōfutare volebam , ne ex diuersa graduum computatione, aliquoddaretur effugium, notari minime debeo, si eo-

dem, quo illi, modo gradus computare elegi.

Atque ut magis te errasse agnoscas, dic quæso, Docte: quid in quæstione nostra commodi, aut incommodi affert aut canonistarū, aut legistarū graduum computatio? certè, aut fallor crassè, aut nullam dices: Nam si more legistarum computes, Cardinalis Borbonius est in xxi. gradu, Henricus vero Nauarrus est in xxij. Si autem computes secundum canonistas, Cardinalis est in x. in xi. Nauarrus: & sic quomodounque computes, Cardinalis semper est per unum gradum prior: & nulla insurgit differētia ex diuerso numerādi more, quo ad effectum: & hoc illud est quod Alexander Pontifex dicit, & in quo tu ipse, me notando, erras.

Qui erras etiam in eo, quod dicis Alexandrum statuisse, cum agitur de Hæ-

reditatibus gradus, computandos esse  
more legistarum, more autem cano-  
nistarum, cū agitur de matrimoniis:  
quod, pace tua, liceat mihi dicere, hoc  
non dicit Alexander.

At Alexander, cum orta dubitatio  
esset ex diuersa computatione, & vel-  
let ostendere differentiam non esse in-  
ter cōputationes ipsas, Primo causam  
reddit, cur Imperator in singulis per-  
sonis singulos gradus perficere volue-  
rit: nempe quia hæreditas non defer-  
tur, nisi de vna ad alteram personam:  
sacri verò canones duas in uno gradu  
constituere personas, ea ratione moti,  
quòd nuptię sine duobus fieri nō pos-  
sunt: Non igitur Pōtifex statuit, quòd  
**ex diuersis rationibus diuersè compu-**  
**tari gradus debeāt: sed causam reddit,**  
**cur ex rationibus diuersis diuersi sint**  
**modi computandi introducti: & ad-**  
**dit, quòd si attentē perspiciantur, in**

effectu inter se in nihilo differunt, hoc dicit Alexander, his verbis, quæ tu in tuum librum transportasti, & ego supera retuli: *Et in dicto c. quod allegas, idem rursus replicat, his verbis Vtraque enim computatio, sicut superius diximus, uno fine concluditur, namque duo gradus legales unum gradum canonicum constituunt.*

At instas, recitans hæc Alexandri verba, *Vltra septem gradus nec consanguinitas inuenitur, nec nomina graduum reperiuntur, nec successio potest amplius prorogari.* eadem verba latina, gallica, ut ab omnibus intelligantur, sic facis: C'est à dire, outre le septiesme degré à la façon des canons, il n'y a plus de consanguinité ou parenté, & n'y a plus de nom de degré, aussi n'y a plus de succession: ce septième degré en canon est par lui dict estre le dixiesme degré des legistes.

Dicas mihi amice ignote? ad quem finem hanc Alexandri autoritatem

adducis, tanta cum diligentia, vt dupli-  
cili lingua audiri illam volueris, cer-  
tè in quæstiōe nostra, nil facit ad pro-  
positum: nisi velis forsan cōcludere,  
quòd nec Cardinalis, nec Nauarrus,  
nec aliquis aliis de sanguine Regio,  
potest succedere, cum nullus adsit, qui  
per septem, & vltra, gradus ab Ande-  
gauense non distet. Ignoro an hæc tua  
sit intentio, sed nimis scio, tua verba  
nihil aliud, quàm hoc dicere, & aculeū  
hūc in animos hominum immittere.

Verùm enim uero, & quòd in hoc  
etiam erres, & quòd ita bona fide cum  
Alexandro, vt mecum agas, dum co-  
gere vis illum dicere illud, quod mini-  
mè dixit, & minus fideliter illius lati-  
na verba in gallica trāsfers, ex tuis met  
verbis te ipsum prodis. Primò, dum  
dicis Alexandrum restringere succe-  
siones ad seprimum gradum: At enim  
Alexander non de successionibus hé-  
reditatum

reditatum, sed de consanguinitate im-  
pediente matrimonia verba facit, &  
illa impedimenta ad septimum con-  
sanguinitatis gradū restringit: Quod  
an verum sit audi Alexandrum in eo-  
dem c. quod tu allegas, in legibus siquidem  
ob nihil aliud ipsorum graduum mentio fa-  
cta est, nisi ut hæreditas vel successio ab u-  
na ad alteram personā inter consanguineos  
deferatur: In canonibus vero ob hoc proge-  
nies computatur, ut apertè monstretur, us-  
que ad quotam generationem à consanguini-  
neorum sit nuptiis abstinentiam. Ibi præ-  
scribitur, ut hæreditas propinquis modo le-  
gitimo conferatur: hic vero ut ritè, & re-  
ctè, & canonice interfideles nuptiæ cele-  
brentur.

Hæc sunt Alexandri formalia ver-  
ba, qui statim illa verba subdit, quæ tu  
notasti, ut ostenderet causam, cui di-  
uerso more canones, & leges, numera-  
re statuerunt. Nec te decipiat quod

dicit Alexáder, vt tu in pag. 23. transtu-  
listi, nempe, ultra septem gradus nec con-  
sanguinitas inuenitur, nec nomina graduū  
reperiūtur, nec successio potest amplius pro-  
rogari. quæ verba tu sic gallica, minus  
bona fide fecisti. C'est à dire, outre le se-  
ptiesme degré à la façon des Canons, il n'y  
a plus de consanguinité ou parenté, & n'y  
plus de nom de degré, aussi n'y a il plus de  
succession. Quia hæc omnia dicit Ale-  
xander, non ad impediēdas successio-  
nes ultra septimū gradū, sed ad tollen-  
da, vt diximus, impedimenta nuptia-  
rum: nec dicit ultra septimū gradū cō-  
sanguinitatem non esse, sed dicit illam  
non inueniri: nec dicit ultra septimum  
non esse gradus, sed dixit non reperiri  
graduum nomina: nec dicit non posse  
propagari successiones hæreditatum:  
sed dixit prorogari non posse succe-  
sionem consanguinitatis ad impediē-  
da matrimonia. Et quod hic sit genui-

nus sensus verborum Alexádri, quem  
tu Docte, præ festinatione adire non  
potuisti, audi ipsummet Alexandrú,  
*in eodemmet c.* ostendentem, errare il-  
los, qui dicebant iure ciuili, consan-  
guinitatem in sexto gradu terminari,  
dicit idque. *Justinianus nanque usque ad*  
*quem gradum consanguinitas ipsa perdu-*  
*ret, in suis legibus non definiuit: canones ve-*  
*rò ultra septimam nullam numerare ge-*  
*nerationem: Quod igitur ad leges atti-*  
*net, dicit Pontifex Imperatorem in*  
*sextῳ gradu consanguinitatem non*  
*definiisse: Quòd verò ad canones, non*  
*dixit terminasse in septimo gradu, sed*  
*dixit ultra septimum non numerasse:*  
*& quòd Imperator non definierit, sic*  
*probat Pontifex, dum sequitur, sextῳ*  
*quidem gradu terminato, in ipsis legibus sub*  
*intulit Imperator, hactenus ostendisse suf-*  
*ficiat: quemadmodum gradus cognationis*  
*numerare debeamus, generat: quippe per-*

sona semper gradum adiecit, ecce in his bre-  
 uibus verbis aperte ostenditur tales gradus,  
 quales isti computantur non tantum usque  
 ad sextum, verum etiam ultra numerari  
 debere: quippe cum ultra sextum, ulteriores  
 gradus numerandos esse decernat. Vbi enim  
 ulteriores nominat gradus, aperte indicat  
 non sex tantum modo esse gradus, sed sex  
 finitis, adhuc alios numerandos, nec mirum;  
 cu[m] in praecedentibus ipse firmauerit Imper-  
 rator. Et in decimo etiam gradu consanguini-  
 neos sibi inter se posse succedere: cu[m] deci-  
 mum nominat, non esse tantummodo sex  
 luce clarius confitetur. Haec ille. Aduerte  
 ignore, quanta cu[m] diligentia, quo[rum]  
 rationibus P[er]t[er]ifex id confutat; quod  
 tu illius autoritate probasse te, credis.  
 Quod autem non dixerit ultra se-  
 ptimum gradum consanguinitatem  
 non esse, sed dixerit, non inueniri, id est  
 vix ob nimiam distantiam discerni  
 posse, audi ipsam, Nam in septem gradu

*bus, si canonice, & usualiter numerentur,  
omnia propinquitatum nomina continen-  
tur, ultra quos, nec consanguinitas inueni-  
tur, nec nomina graduum inueniuntur, nec  
successio potest amplius prorogari, nec me-  
moriter ab aliquo generatio recordari.*

\* Propinquitatū nomina sunt, Pater,  
filius, nepos, pronepos, abnepos, atnepos, tri-  
nepos, posteriores, & hæc in descendenti-  
bus, quæ nomina septē sunt distincta,  
& distinctos gradus faciunt, ultimum  
vero nomen confusum est, & non  
vnū solum, sed plures, & tot facit  
gradus, quo ipsi sunt posteriores: &  
hi omnes possunt in arbore, seu ta-  
bella graduum ponī: & licet ob diffi-  
cultatem & distantiam vix possit  
inter eos consanguinitas inueniri:  
nec distincta nomina graduum, ultra  
septimum, inueniantur: nec successio,  
ad impedienda matrinonia, amplius  
prorogetur: nec memoriter ab aliquo.

generatio possit recordari: nihilominus, postquam possunt omnes in arbore, vel tabella poni, certè in omnibus cōsanguinitas inest: nec possunt à parentela repellri. Ita dicit idem Pontifex Alexander, in eodem, quod allegasti capite his verbis, *Nam si ut ipsi fatetur, in illo sexto gradu consanguinitas finiretur, omnes personarum ramulos, qui ultra illum gradum, in pictura arboris continentur velut superfluos oporteret detrūcari, sed quia omnes, qui in prædictæ arboris pictura numerantur, ex una parentela consistunt, nunquam sine diminutione consanguinitatis, à se poterunt separari: veluti non sine damno cuiusque personæ valent à proprio corpore manus, brachia, & pedes truncari.* Si hæc, Docte, legisses, & cōsiderasses, nunquam Alexandri auctoritate dixisses, ultra septimum gradum in hereditatibus successionem non dari. At scio dicere potes, caput nimis pro-

lixum, & tædiosum erat, & ego, qui ad tua dicta censurada properabam, illud nec perlegendi, nec legendi, ne- dum intelligendi, otium habui. Amice admitto: sed dicas, cur quæ ex ipso transcribis, bona fide non refers? dicas enim Alexandrum dicere, ut gallicè trastulisti, ce septiesme degré en canon est par luy dict estre le dixiesme degré des legitimes. At longè diuersum proponit Ale- xander, de gradibus loquens, his ver- bis. Atque hoc modo de reliquis sentien- dum est, ut qui secundum canones in sexto, vel septimo, secundum leges accipientur in duodecimo, aut quartodecimo.

Et quod consanguinitas etiam in septimo gradu canonico non termi- netur, nisi quo ad impediendas nu- ptias, clarè habetur ex verbis Alexan- dri, dicit enim, In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monstre- tur, usque ad quotam generationem à con-

*sanguineorum sit nuptiis abstinentium.*

Abstinēdum autem declarat usque ad septimam, dum dicit, *in eod.c. Sed terminatur secundum canones in septimo gradu.* Cum terminetur septimus consanguineorum gradus, ad nuptias impediendas, sub nomine quotæ generationis, certè ultra generationem illam quotam, aliæ sunt generationes, quæ nuptias non impediunt. Nam si consanguinitas non fuisset, nisi usque ad septimam generationem, & septima ipsa prohibetur, debebat certè aut sub nomine omnium generationum, aut sub nomine indefinito, & non sub nomine septimæ generationis, ut est terminatū, id determinari: sunt enim, ultra septem, plures consanguineorū generationes, & omnes gradatim succedunt, pro ut quisque est gradu proximior: Adeò ut hæc inter se conuentantur, est consanguineus, ergo succedit

dit: & succedit ergo est cōsanguineus.  
 Ita arguit ipse Alexander, *in eod. c.*  
*Neque enim sibi succederent, nisi inter se  
 parentelæ vinculo tenerentur, succedunt  
 autem inter se, Justiniano teste, in decimo  
 gradu, consanguinei igitur sunt, qui sibi  
 succedunt. Quid ad hæc dicis Docte  
 ignote, nónne errorem agnoscis tuū?*

## C A P. V.

Dixi quinto loco errasse, dum no-  
 tat me, in arbore Genealogiæ oblitum  
 esse Sancti Ludouici, his verbis, pag. 24.  
*Et si en sa description il a oublié d'y mettre  
 le Roy saint Louys, qui est le chef des deux  
 familles, qui sont de Vallois, & de Bourbō,  
 estant le lien, qui les ioint ensemble, comme  
 la pierre angulaire les deux parois.*

In quo ego fateor, me ignorare, an  
 ipse errauerit, an ego delirem, cum in  
 suo libro lego ipsum ità dixisse: Qua-  
 re consului ne dum quinquies, sed de-  
 cies, & quinquagies amicos, ostensio

illis eius libro , nunquid Sic esset in eo  
scriptum. Non potest impressoris er-  
ratum esse , cum verba ipsa paginam  
contineant: Non mihi verisimile vi-  
debatur, ipsum, adhibitis saltem ocul-  
atibus , non vidisse in meo libro sic  
extare , & magnis literis , *Sanctus Lu-*  
*douicus Capeumgius* : Nec etiam mihi  
verisimile videbatur ipsum nescire  
latinè , cum saepius in sua animaduer-  
sione latinè scribat: quin et si latinè nō  
intelligeret , videbam eum legere po-  
tuisse in versione Gallica , in qua sic  
scriptus est, *saint Louys Roy de France,*  
*de l'estoc, & ligne des Capets.* Sed tandem  
cum amici me securum redderet ita in  
suo libro scriptum esse, ut ego retuli,  
cogor dicere , ipsum errasse , & nimis  
supinè , dum sic contra me exclamat:  
*iamais Jurisconsulte n'eust fait une cōsan-*  
*guinité sans y mettre la tige , & la source*  
*des parentez de l'un, & de l'autre.*

## CAP. VI.

Sexto illum errare affirmauit, dum  
his verbis, notat me allegate Vlpianū  
contra ipsius mentem, Ce docteur estrā-  
ger ou eſtrange à la troiſieſme page de ſon li-  
ure, interprète Vlpian contre ſon intention,  
il diſt, liberos non omnes ſimul vocat  
Prætor, ſed gradatim: Il conclud parla,  
que tous ceus, qui ſont en vn meſme degré  
ne ſont appellez à la Couronne, mais l'vn  
apres l'autre: Mais Vlpian entēd, liberorū  
appellatione veniunt nepotes, pronepotes,  
& cæteri dēſcendentes. Si donc vn homme  
meurt laiſſant des fils, des arriere fils, & en-  
fans des arriere fils, ils ne viendrōt pas tous  
en ſemble à la ſuccesſiō mais premieremēt les  
fils, en defaut des fils, les arriere fils & puis  
en deffaillat les arrierefils, y viédrōt leurs en-  
fans par ordre de nature: Car le droict ciuil  
appelle tous les freres, & les feurs en ſemble,  
Vlpia dit gradatim admittūtur cogniti, ut  
qui ſunt primo gradu omnes ſimul admit-

*tantur. Fl ne dit point, unus, Sed omnes.*

Incognitus iste, vt se verè doctum ostentet, notat me, quòd Vlpianum contra ipsius mentem allegem: & vt hoc demonstret, Vlpianum interpretatur, & multū se inuoluit, ca tandem id quod dixi concludit, illud non intelligens ipse, aut fallor.

Verùm antequam id ostendā, desidero ab eo scire causam, quare ipse ad successionem Coronæ vbique verba cōuertat, cum ego de successione Coronæ verbum nullum faciā, nec, Deo iuuante, meis diebus, continget vt de successione Coronæ tractandum sit.

Velle ab eo rursus scire; quid ad quæstionem nostram facit quod dicit, Sus ciuile & fratres, & sorores insimul appellari ad successionem, qua de re in meo libro ne syllaba quidem?

Pro tua nota, credoscis, cùm sis doctus, & Vlpianum interpreteris, quòd

leges non semper ad literam id probant, ad quod allegantur. Sed quādōque probant ducto arg. à simili quandōque à contrario sensu, quandōque à ratione sui, & aliis variis modis: Dic igitur hoc modo, lex ciuilis, quæ omnes agnatos gradatim vocat, cum agnatorum plures sint gradus (vt tu ipse declarasti) licet omnes vocet, qui sunt in vno gradu, non tamen omnes vocat simul, qui sunt in omnibus gradibus, sed illos tantūm vocat, qui sunt in gradu proximiores, & videbis consequi, quòd lex ciuilis vocat vnū gradum duntaxat, & non omnes simul gradus, hoc tu tuis declarationib' dixisti, hoc dicit Vlpianus, hoc dicit Iustinianus, Imperator, *instit. de leg. agnat. successione, in. §. Si plures, ait enim, si plures sunt gradus agnatorum, aperte lex xij. tabularum proximum vocat.* Proximum nempe gradum: Et me deinde sic ar-

gumentari comperies, si rectè ratio-  
cineris: Ut lex ciuilis, quæ vocat om-  
nes gradus agnatorum, non vocat o-  
mnes gradus simul, sed vnum duntax-  
at proximiorem, ita lex Regia, quæ  
ad Primi Principis Prærogatiuam vo-  
cat omnes agnatos, non omnes simul  
vocat, sed vnum illum duntaxat, qui  
proximior est: hoc igitur est, quod  
ego concludo, & non id, quod tu in-  
sulfè me concludere, sic dicis. *Il con-  
clut par là, que tous ceux qui sont en un  
mesme degré, ne sont appellez à la Courone:  
mais l'un apres l'autre, hæc conclusio,  
quæ nihil concludit, non mea, sed  
tua est conclusio.*

## C A P. VII.

Septimum dixi te incurrisse in er-  
rorem, notādo me, quod dicam Car-  
dinalem Ducis Alenconij hæredem,  
cum tamē loquar de successione Co-  
ronæ, ita dicens, pag. 26. *& parlant cest*

autheur de la successiō de la Courone, il faict  
*Monsieur le Cardinal heritier de feu  
 Monsieur le Duc d'Alençon*, lequel n'a-  
 uoit heritier que le Roy son frere, & faict  
 par imagination que *Monsieur le Duc ayer*  
 succédé au Roy ne l'ayant suruescu: toute-  
 fois contre les preceptes de droict, & pour  
 monstrer la parenté, qui est entre nostre  
 Roy, & *Monsieur le Cardinal*, puis qu'il  
 est question de succession, non de mariage,  
 nous ferons les degrez à la façon des Iuris-  
 consultes, non des Canonistes.

Iam sæpius dixi, me asseruisse Car-  
 dinalem Ducis Alenconij hæredem  
 in Prærogatiua Primi Principis, &  
 non in successione Coronæ, de qua  
 ego loqui nec debui, nec sum locutus:  
 & non fuit propterea opus, ut imagi-  
 nationes illas conciperem, à quibus  
 doctus iste est tractus in errorem, quis  
 enim, eo excepto, dixisset me facere  
 Cardinalem hæredem Coronæ, tan-

quam h̄eredē Andegauensis, eo quod  
Andegauensis mortuus, h̄eres sit Re-  
gis viuentis? At audi conclusionem,  
postquam h̄ec dixisset subiungit, &  
pour montrer la parenté, & quæ sequun-  
tur, ne repetantur, cum sint 5. immediatè  
posita, nous ferons les degréz à la façon des  
Iurisconsultes, non des Canonistes. Septua-  
genarius Xanthippes simili nubam, ni  
h̄ec conclusio distet à précédentibus  
in decimo quinto gradu, adeò ut, & si  
Canonistarum more gradus compu-  
tentur, nihil tamen inter se, aut con-  
sanguinitatis, aut conuenientiæ ha-  
beant: & possint ideo matrimonio  
coniungi.

## C A P. VIII.

Octauo errauit, dum notat me ma-  
lè dixisse, neminem alicui h̄eredem  
esse posse, qui prius præsumptus h̄æ-  
res illius non fuerit, dicit vtique pag.  
27. ce Docteur en droit en ses maximes  
tient

tiēt que personne ne peut estre heritier d'un  
 defunct , qu'auparavant il n'ayt esté son  
 presumptif heritier. Dixi hoc certè , & est  
 verum : qui enim alicui proximior est ,  
 illius , si moriatur hēres est , quia lex  
 defert illi hæreditatē , est igitur , dum  
 ille viuit , illius præsumptus hēres : hē-  
 res nempè à lege designatus. At videa-  
 mus quæ ipse obiicit , dicens , ea . pag.  
*Je luy demanderois volontiers s'il fust es-  
 cheu que Monsieur le Cardinal fust mort  
 à l'instant que feu Monsieur frere du Roy  
 mourut , sçauoir qui eust esté heritier de  
 Monsieur , car nul autre , à son dire , n'estoit  
 son heritier que Monsieur le Cardinal , il  
 fust donc dececé sans heritier. Subtile cer-  
 tè quæsitū. Qui proximior Duci fuisset  
 ille successisset , & fuisset Ducis hē-  
 res , Cardinalis enim , nisi viuens , illius  
 aut præsumptus hēres , aut hēres , esse  
 non poterat. Video hoc responsum il-  
 li non satisfacere : subdit enim , pag . 27.*

ce mot de *presumptif heritier* n'est point légitime : car il n'y a heritiers aucun d'un homme viuant. S. Paul dit que le testament se confirme par mort, aussi faict l'héredité, qui est une succession à un homme mort, c'est donc abusiuement parler d'*heritier presumptif*, il vaudroit mieux l'appeler esperant d'heriter, où attendant l'héritage, & la mort de quelqu'un.

Dubito an serio loquatur, sed multò magis, Francus ne sit, an extraneus, dicit enim verbum, *presumptum hæredem legitimū non esse*, cum nihilominus in consuetudinibus Franciæ verbum *presumptif*, passim legatur, in consuet. Blesensi, tit. des successions, art. 168. In Pictauensi, tit. des donatiōs, art. 215. & 216. in Engolismensi, tit. des testamens, art. 115. in Sanctonensi, tit. des testamens, art. 85. in Cenomanensi, tit. des successions, art. 262. & art. 287. ne plures adducam. At subdit ipse. Pauli testimonio, nul-

lus hominis viuentis hæres esse potest,  
 nec ex testamento , nec ab intestato.  
 Sed amice ignote , quis vnquam hoc  
 dixit? sed tu erras, quia inter hæredem,  
 & præsumptum hæredem , differen-  
 tiam non constituis , vt debes: hæres  
 vtique nō nisi defuncti hæres esse po-  
 test: præsumptus verò hæres potest es-  
 se & viui , & defuncti : viui dum illius  
 est proximior, & lex, si superuiuit, vo-  
 cat illum, primoloco, ad hæreditatem:  
 mortui dum non adit hæreditatem si-  
 bi à lege delatam: potest enim illam  
 repudiare. Sed dicistu , verbum præ-  
 sumptum non est legitimū & quòd  
 melius diceretur sperans hæreditatē,  
 aut expectans bona , & mortem ali-  
 cius. Nisi multa impertinentia dixis-  
 ses, certè dicerem te hæc ironicè dice-  
 re, & non seriò. Et vtcunque sit , scire  
 debes, quòdvt quis sit præsumptus hæ-  
 res , non pendet , aut prouenit ab ani-

mo ipsius, aut desiderio, sed ex virtute legis, quæ proximiorem vocat ad successiones, & sic præsumptus hæres, ex eo q[uod] præsumptus hæres est, nec legé, nec aliquæ offendit: cùm possit esse præsumptus hæres, & nihilominus nō desiderare hæreditatem, & morte illius, cuius est virtute legis hæres præsumptus: At quia spes in homine est, estque futuri boni expectatio: & ideo vix esse potest sine desiderio illius cōsequendi: certè qui, sub specie boni, ex morte alicuius sperat hæreditatē, desiderat mortem illius, & offendit Deū, legem, & proximiorem suum, cuius bona, & mortem desiderat. Et non est ideo, vt tu dicas, melius dicere, sperantem hæreditatē, quād dicere præsūptū hæredē: hunc enim lex authorat illū reprobat, & pro nihilo habet illius desideriū: spes enim hæreditatis ex cognatione deuoluendæ neque legitima

est, neque considerabilis, & nil aliud  
per eam significatur, quam actus voluntatis  
sperantis, ita dicit Bart. in l. i. & l. fin. C. de  
pact. & latius in l. is potest, num. vi. quem  
alii ibi sequuntur, ff. de acquir. heredit.

At iste transiens ad tragicas histo-  
rias, dicit, pag. 28. ie me souuiens d'vne  
histoire que recite Iosephe en la prinse de Je-  
rusalem, il dict qu'un soldat Romain estoit  
mōté sur vne gallerie du temple de la ville,  
en laquelle on auoit fait vne trainee de pou-  
dres sulphurees, ou se mit le feu, ce soldat se  
voyant au desespoir, ne s'oloit precipiter du  
haut en bas, mais appelle un sien compagno  
luy disant qu'il l'instituoit son heritier, si  
quand il se ietteroit du hault en bas de ceste  
gallerie ce sien compagno le recueilloit entre  
ses bras, ce presumptif heritier se presente  
pour le recevoir, mais il fust escrasé par la  
cheute du testateur, lequel suruesquit son he-  
ritier, & enterra celuy qui s'atteadoit auoir  
ses biens, c'est peut estre le presumptif heri-

*tier dont ce docteur entend parler.*

Satis aptam tibi finxisti historiam,  
& quis sis quærere nō est necesse, quā-  
doquidem loquela tua manifestum  
te facit.

Nec quiescens addit, *Mais il est cer-  
tain que tous les parens d'un homme viuant  
sont presumpifs heritiers, non le plus pro-  
che seulement, d'autant qu'il peut eschoir  
que celuy qui est le plus proche meurt avant  
celuy à qui sont les biens, ou aduiendra que  
ce plus proche renoncera, & partant, suc-  
cessorio edicto Il peut eschoir que le der-  
nier, & le plus esloigné de la parenté sera  
heritier, si tous les plus proches renoncent,  
pource qu'il n'est heritier qui ne veut.*

*Si omnes consanguinei, eodem té-  
pore, vt doctus iste dicit, sunt alicuius  
presumpti hæredes, certè illo mortuo  
sunt omnes eodem tempore hæredes,  
sed hoc est falsum, quia lex duntaxat  
proximiorem vocat, non sunt igitur*

omnes præsumpti hæredes, præsumptus enim ille est, vt dixim<sup>9</sup>, quē cum proximior sit, lex vocat ad hereditatē alicuius, cum illius morte locus erit hereditariæ successioni.

At dicit ipse potest esse vt proximior moriatur, potest esse vt renūtiet, & ne dum vnuſ, ſed omnes, vltimo excepto, qui tunc erit hæres, ergo omnes ſunt præsumpti hæredes. Falleris Doce, quia nō omnes eodem tempore ſed bene ſucceſſiuē eſſe poſſunt præſumpti hæredes, & nunquam ideò eodem tempore erit niſi vnuſ: Cum vno decedente, vel renūtiante, alter ſuccedit, & eo ordine, quo ſuccessorium ediſtum, quod tu allegas, de gradibus diſponit. Sed nescio an tu magis riſiculus ſiſ, an ego, qui in illis immoror.

At audiamus aliam, quam ad hoc probandum, rationem adducit, dicēſ pag. 30. ſes maximes doncques ne feront

trouuees vrayes, ny vray semblables, quād  
il dit qu'aucun ne peut estre heritier, que  
premierement il ne soit presumptif heritier,  
ou il m'accordera que tous les parens habi-  
les sont presumptifs heritiers.

Cōcedo tibi consanguineos habiles,  
omnes esse præsumptos hæredes: con-  
cede igitur mihi néminem esse hære-  
dem, qui præsumptus hætes prius non  
fuerit. Non potes hoc non facere, ami-  
ce ignote, postquam alteram ex tuis  
disiunctiuis positionibus tibi cōcessi:  
nempe omnes cōsanguineos habiles,  
id est, qui habiles sūt, esse præsumptos  
hæredes, sed memineris supra conclu-  
sum esse, habilem esse non posse, nisi  
vnum, & vnu s̄ ideo solus, & nō plures,  
eodem tempore, possunt esse præsum-  
pti hæredes. Ut verò probet omnes es-  
se præsumptos hæredes, addit pag. 30.  
Et qu'ainsi soit, si apres la mort de nostre  
Roy il prenoit vne deuotion à Monsieur le  
Cardinal

Cardinal de quitter le monde, & se retirer  
en quelque Religiō, le Roy n'auroit il point  
d'heritier, & si pendant que le pere du Roy  
de Nauarre viuoit, le Roy fust decede, &  
feu Monsieur le Duc eust fait profession de  
Capuchin, vous me confesserez, que le feu  
Roy de Nauarre estoit Roy par proximité.  
Car primus est, quem nemo præcedit, id est  
capax succedēdi: & qui pouuoit deuiner que  
feu Monsieur ne deust prendre l'habit de  
religion. Ne respondeas, ne efficiaris si-  
milis illi, dicit sapiens.

### CAPVT IX.

Nono dixi Doctum istum errasse,  
dum notat me malè dixisse descéden-  
tem ab inhabili inhabilem esse, pag. 31.  
Il dict puis apres, que le feu Roy de Nauar-  
re estoit inhabile de succeder à nostre Roy,  
pendant que viuoit feu Monsieur le Duc,  
& fait un argument, celuy qui estoit inha-  
bile à succeder, ne peut auoir des enfans ha-  
biles à succeder: par ceste raison le pere de

Monsieur le Cardinal n'a iamais esté habille à la Couronne non plus, que le feu Roy de Nauarre, il sensuiroit donc que Monsieur le Cardinal ne peut estre habile, puis que il est nè d'un homme incapable.

Vt centies dixi, nunquam ego verba feci aut de Rege, aut de successione Coronæ, & nihilominus, ignote amice, tu me semper vis de Rege loqui, & vbiique & ad propositum, & extra propositum, ad successionē Coronæ verba detorques, & si pateris, vt quid credam, dicam, prouerbium recitabo Italicū, *la lingua tua doue lo dente duole: quod est dicere, Currit linguavbi dens dolet. Sed ad tuam illā rationem, quam tam insulsè adducis, tu ipse respōdere potes, quod pater Cardinalis erat inhabilis, stantib' tot Valesiis, qui in successione Pr̄etogatię primi Principis, illum pr̄cedebant, & excludebant, & non potuit ideo Cardinali filio habi-*

litatem illam, quam ipse non habebat,  
relinquere: *nemo enim dat quod non ha-  
bet, vulgata lex ait.* Verum Cardinalis  
filius, qui morte, Fracisci Andegauen-  
sis Prærogatiuā illam est cōsequutus,  
inuentus ideo est ad illam habilis, quia  
ij omnes Valesij, qui patrem suū præ-  
cedebant, & excludebant, eo tempore  
decesserant, & nullus erat ipsi Duci  
Cardinale proximior, & Cardinalis  
igitur successit iure suo, & non repræ-  
sentatione patris, aut iure à patre sibi  
transmisso, & est habilitatē asseditus  
non à patre, qui illam nunquā habuit,  
sed à lege Regni, quæ Cardinali, ut  
proximiori, illam detulit.

## C A P V T . x.

'Decimo eravit, & dupliciter, dicēs  
me Nauarro ad coronā aditum dare,  
dum illū excludere volo: At in ostendendo  
illius duplicem errorem, non  
insisto, tum quia superius in errorum

annotationibus de illis est satis dictū, tum quia illas rationes, quæ expūgunt illius inductiones, hīc aperire non est nostri instituti.

## C A P V T xi.

Vndecimum, & duplicem dixi esse errorem: cū dicit me perperam dicere, dum dico Cardinalem esse hāredem Ducis, ait enim, pag. 34. Il dit que Monsieur le Cardinal est heritier de feu Monsieur le Duc, à quoy s'opposera le Roy pour les propres, & la Royné sa mere pour les meubles & acquests & puis il dit, que Monsieur le Duc estoit presūptif heritier du Royaume, tellement que Monsieur le Cardinal n'estant heritier des biens meubles, ou immeubles de feu Monsieur, il seroit seulement heritier de sa presumption, c'est a dire du vent, ou de l'esperāce, mais qui ouyt iamais dire, qu'il y eust vn heritier de l'esperance, & de la presūptio? Ne tuis insulsitatib<sup>o</sup>, ignote Docte, diutius me detineas, cū superius ostensum sit, te in illis ne dum

errare, sed à ratione penitus aberrare:  
 Agnosce rogo Cardinalem non im-  
 mobilium, non mobilium rerum, hæ-  
 redem Ducis esse, sed illius hæredem  
 in iure prærogatiæ Primi Principis  
 Franciæ, quod tu tuis yanitatibus, &  
 vafris detorsionibus ab illo auferre de-  
 sudas: sed disrumparis licet, Prærogati-  
 uam illâ, illiusque ius, lege Regni ha-  
 bet. At mente commotus stare nō po-  
 tes, sed addis, pag. 35. Mais sans toucher  
 les points qu'a entamé ce docteur estrâger,  
 Il y auoit assez de raisons pour montrer  
 que Monsieur le Cardinal estoit le pre-  
 mier Prince du sang, & que s'il suruit le  
 Roy, il doit estre déclaré son heritier à la  
 Couronne : non le rendre heritier de feu  
 Monsieur, qui ne fust iamais heritier du  
 Roy, que par esperance, ou par fantasie. Et  
 si multe, ut dicis, ad sint rationes, qui-  
 bus probari potest Cardinalem Pri-  
 mum Principem esse, & si Regi super-

uiuit , illius Coronæ esse hæredem,  
 tu nihilominus illas adducere cauisti:  
 & illas ego adducere non debui: quo-  
 niam de successione Coronæ dicere  
 non fuit meum institutū: sed tuis votis  
 tuisdiesb<sup>9</sup>, Dei bonitas nō annuet, vt de  
 illa tractare , pro tuo desiderio possis,  
 vt tuis dicendi modis , tuis inuolutio-  
 nibus , nihil magis appetere vbiique te  
 ipsum prodis : & iniuria memoriam  
 optimi Principis Ducis Andegauen-  
 sis afficis, dum Coronam affectasse in-  
 sinuas : talem enim spem & diuina , &  
 ciuili lege improbatam esse , superiùs  
 satis deduxi.

Tandem Doctus iste, vt se vndique  
 doctum ostentet , finxit me dixisse  
 hæreditatem esse successionē in spem  
 defuncti, & id inde acriter reprehēn-  
 dit, dicit enim pag.35. On dit , hæreditas  
 est successio in bona defuncti, ie n'ay iamais  
 leu, que se soit successio in spem defuncti.

Tu, vt aīs, nunquā legisti hæreditatē

successionē esse in spem defuncti, sed  
 oblitus es dicere, prēterquam in libro  
 meo. sed credo, id tacuisti, cōscientia  
 tactus, quia ego id nunquā dixi, & ni-  
 hilominus apud Imperatorē, in §. in  
 conditionali, instit. de verb. obligat. &  
 in l. fin. C. de pactis, legere potuisti, ius  
 hēreditatis spem etiā cōprehendere,  
 licet tu id ante nō legisses. Sed nō pos-  
 sum tacere te in eo errare, quod dicis  
 hēreditatē Successionem esse in bona: lex  
 enī dicit, Successionē in ius defūcti: Et ius,  
 & bona nōparū, inter se differūt, quin-  
 imo verbum bona, ad hēreditatē non  
 adaptatur, ita Bart. in d.l.fin. vers. nā pro-  
 mittēs, C. d. pactis. at hoc trāseat cū aliis.

Dicis in vltimis tuis verbis, claudēs  
 librum. *Et pource ce Docteur se fust bien*  
*passé d'entrer es questions si ardues, pour en*  
*sortir si mal à son honneur: ce que nous disons*  
*n'est pour deroger aucunement au droit de*  
*Monsieur le Cardinal : mais pour obvier*

à ceux qui se moqueront de ce Docteur, lequel soustenant une bonne cause si mal qu'il fait, empire de beaucoup la cause, & fait tort à ce bon Prince.

Iamiam stomachati cœperam, atq;  
ad iram me totum vertebam: cum le-  
gerem me, vt honoris desertorē, nota-  
ri: darique gētibus in derisum, quod  
causam tam arduā, tam illustrem, tam  
bonam assumere præsumpsisse, &  
illam tam insipidē, tā malē defendis-  
sem. At cum viderim te, ignote Docte,  
& meam assumpsisse protectionem,  
& quæstionis patrociniū, atque illam  
rationum tuarum acumine restaura-  
tā, itā muniuisse, vt quāuis rationes il-  
las, in tuo pectore, vnā cū tuo nomi-  
ne, absconditas retineas, nihilominus  
à quoquā expugnari minimē vnquā  
possit: deferbuit ira, & beneficentiæ  
tuæ gratias supplex ago.

F I N I S.











